



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1712

Q. 329. Quid specialiter notandum sit circa jam dicta tempore Sedis vacantis in Episcopatu, in quo alternant Episcopus catholicus & Princeps acatholicus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42433

Capitulum propter hæresim, pestem vel simi-
lem causam esset dispersum, tum enim suffice-
ret etiam ab uno solo Capitulari residente hoc
fieri, & id pariter decisum est apud *Garciam*
suprà n. 93.

Q. 329. *Quid specialiter notandum sit circa jam* 2267.
dicta, tempore Sedis vacantis in Episcopatu, in quo
alternant Episcopus catholicus & Princeps acatholi-
cus. B. Si Episcopus catholicus rexerit & mo-
riatur, tum incipit primus annus Sedis vacan-
tis, ac tenent, quæ hætenus dicta sunt: E con-
trà si rexerit & moriatur Princeps acatholicus,
putavit doctus Canonista tum etiam incipere
primum annum Sedis vacantis, adeoque lo-
cum habere decretum Tridentini n. 2257. re-
latum. Rationem dabat, quia caput illius Epi-
scopatûs in temporalibus fuit iste Princeps ac-
atholicus, caput autem & veluti Ordinarius in
spiritualibus, secundùm concordata & dispo-
sitionem Pacis Monasteriensis, erat Metropoli-
tanus, pro illo nempe tempore, quo in tempo-
ralibus regeret Princeps acatholicus: hoc au-
tem Principe acatholico mortuo censetur
commori Metropolitanus respectu hujus Epi-
scopatûs, quia desinit ejus jurisdictio spiritua-
lis adeoque videtur incipere Sedes vacare eti-
am in spiritualibus, saltem fictione Juris pro
casu, de quo Jus nihil disposuit. Sed oppositum
tenendum est, & cõsequenter dicendum, quòd
in eo Episcopatu possint, uti antè, fieri Ordina-
tiones & dari dimissoriz etiam non arctatis:
Ratio est 1. quia vacatio Episcopatum est ad
modum vacationis Beneficiorum, hæc autem
dicuntur vacare per obitum vel cessionem
ipsiusmet beneficiati, usque dum novus in eo-

dem verè instituat, *Corrad. l. 3. c. 6. n. 16. & 52.* cum communi. 2. Viduitas ecclesiæ est à morte ultimi sponsi usque ad novum Episcopum, id est, usque ad aliquem, qui habeat in spiritualibus supremam potestatem, & cui fiat provisio talis ecclesiæ, *Lotter. l. 3. q. 20. nu. 118. 119. Barb. De Jure eccles. l. 1. c. 8. n. 6.* Debetque nova provisio fieri auctoritate Apostolicâ, *Corrad. n. 52.* Ideoque viduitas durat usque ad novi Episcopi confirmationem à Papa faciendam, *Paris. suprâ n. 48.* citans *Gloss.* & alios: Tota enim vis extinctiva prioris vacationis attribuitur actui legitimæ collationis, quæ succedit, *Asc. Tamb. de Jure Abb. in decis. 25. rotali n. 2. & 4. Lott. l. 3. q. 1. n. 19.* citans alios. 3. Quamvis Papa alicui Episcopatum vacantem dedisset in commendam vel ad administrandum, tamen per obitum hujus commendatarii vel administratoris non inciperet vacare Sedes, *Tamb. p. 1. d. 4. q. 6. Garc. p. 4 c. 4. n. 64.* ergo similiter hic. 4. Quando Tridentinum prohibet dare dimissorias tempore Sedis vacantis in primo anno, nomine vacationis venit vera & non ficta vacatio, id est, vacatio per mortem vel cessionem veri Episcopi, *Paris. de Resign. l. 12. q. 10. n. 25.* ergo Decretum illud prohibens & restrictivum Juris communis extendi non debet ad vacationem tantum politicam, quæ tantum respicit gubernationem temporalem.

Objicies. Capitulum in hoc casu solet statuerre vel confirmare Vicarium in pontificalibus & spiritualibus, ergo signum est, quod Sedes censetur tum incipere vacare etiam canonicè. *Respondeo n. conseq.* nam mortuo Principe acatholico cessat administratio Metropolitanæ, qui non

non implebat Sedem, & jurisdictio spiritualis, quæ à Capitulo post primum annum vacationis venerat ad Metropolitanum, mortuo Principe acatholico revolvitur ad Capitulum, & iterum connectitur cum jurisdictione temporalis, quam tum etiam recipit Capitulum. De cætero potest Suffraganeus ex facultate à Metropolitano concessa pergere exercere pontificalia, dummodo Capitulum non reluctetur, sicuti si accepisset ab Episcopo mortuo talem facultatem, dato quòd esset primus annus vacationis, facultas illa non exspirasset per mortem Episcopi concedentis, *Sanch De Matrim. l. 8. d. 28. n. 64. & 82. Themudo cum Diana p. 8. t. 4. R. 72. Fermos. supra n. 1. maximè si Capitulum confirmavit hunc Suffraganeum etiam tanquam vicarium, non enim potest semel à se constitutum dejicere sine causis & causarum cognitione, Castrop. t. 13. d. 2. pu. 29. n. 7. Barb De Jure eccles. l. 1. c. 32. n. 47. & alii, quos citant: nec etiam potest Capitulum concessam semel potestatem limitare, Garc. p. 5. c. 7. à n. 25. & alii, maximè cum potestatem eam acceperit à Metropolitano, Garc. n. 34. Leur. q. 510. Nihilominus post jurisdictionem iterum devolutam ad Capitulum, inconveniens non est, si talis vicarius recognoscat suos Principales, & petat confirmationem à tali Capitulo, quod sciet, quid de Jure facere possit aut debeat.*

Q. 330. Quid addendum sit circa titulum Ordinationis. *De hoc ita statuit Trid. sess. 21. c. 2. De Reform. Cum non deceat eos, qui divino Ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere; compertumque sit complures plerisque in locis ad sacros Ordines*

Aaaaa 4

nul-